

## Kodikologie – ukázka literární písemnosti

Název: Iohannes Hus, Contra Stephanum Palecz

Místo uložení: Národní knihovna ČR, Praha

Signatura: III G 6, fol. 62r–74v

Doba vzniku a provenience: polovina 15. století, Čechy

Písmo: gotická kurzíva

### Přepis:

| [fol. 68r] Ulterius in 3º item ponit fector quidamista distincionem correccio[n]is et condempnacionis et equivocationem huius signi ‚ecclesia‘. Ipsi – nos denotans – multa iura de hoc allegant contra se expresse iacentes, quia ipsi in materia fidei nolunt ad papam et suum collegium recurrere. Hic fector, sacre theolo[gy]e doctor, primo dicit falsum, cum nos parati fuimus recurrere ad papam et cucurrerant nostri et obtulerunt se coram papa ad penam ignis contra quemlibet, qui auderet in materia fidei aliquid opponere nostre parti. 2º peccat in hoc, quod indignatur nobis, quia ad eius libitum ad curiam pape non currimus, et falsum addit dicens, quod volumus hic in Praga a scolaribus iudicari, pretendens, quod non a prelatis secundum Dei legem, sed a studentibus solum vellemus iudicari. Cum enim defecit sibi Scriptura cum suis collegis, quam posset nobis obicere et nos de aliquo errore convincere, cucurrit hinc inde et, ut esset forcior in multitudine, reduxit in memoriam, quomodo posset illos sibi atrahere, qui erant sui et eius college precipui inimici; et non habens causam adversum nos recepit articulos, qui sunt prelatis contrarii, et cucurrit ad eos, qui gavisi sunt videntes ipsum et Stanislaum cancrizantes. Unde inito consilio pactum fecerunt invicem, ut articulos in pretorio condempnarent.

Unde de illis dicit, quod condempnati sunt 45 articuli ex hac causa, quod nullus ex illis 45 articulis est katholicus, sed quilibet eorum aut est hereticus, aut erroneus, aut scandalosus. O doctor, ubi probacio? Fector es, causam fingis, quam non probas, tuum asserere vel negare non est aliquid liquide probare. Ostende Scripturam, assigna rationem veram! Ecce, nos venimus in locum publicum disputacionibus in Scriptura sacra deputatum et diximus et scripsimus publice, quod vestra condempnacio super articulis est irrationabilis et iniqua nullam ostendens Scripturam sacram de contrario. Sed racio vestra est, ut tu ponis, quia quilibet eorum est hereticus, aut erroneus, aut scandalosus. Sed iam dixi | [fol. 68v]